

Kreis

Paderborn

S. 54

Methilt schenkt der Kirche des hl. Petrus zu Köln Eigenthümige.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Licet parva et exigua sint, que pro immensis peccatis et debitis offerimus, tamen pius dominus non quanti-

tatem muneris sed devotionem respicit offerentis. Qua propter ego in Dei nomine Methilt, ancillarum Dei ultima, annuentibus filiis meis Cunrado, Winrico et filia Cunegundi ob amorem domini nostri Jhesu Christi et beati Petri Apostolorum principis et anime mee remedium nullius cogentis imperio, sed plena et flagranti devotione per hanc paginam donationis ad ecclesiam sancti Petri Apostolorum principis, que est intra muros Colonie civitatis, dono seu et trado Betcelin et filium eius Regenbernum filiasque eius Wendelmudim, Mergardim, Atcelin, Ehgelricum fratrem eius et omnes eorum successores Dei misericordia ad me pertinentes. Et ut traditio hec a nemine possit mutari, sigillo sancti Petri confirmavimus; unumquemque eorum sive successorum suorum singulis annis ad census duos denarios dari determinavi. Pro licentia vero nubendi unumquemque eorum custodi vel magistro, quem ecclesia beati Petri ad hoc officium prefecit, sex denarios dare decrevi. In obitu autem omnis<sup>1)</sup> vir optimam vestem quam habuerit laneam, mulier vero lineam per manus suorum representent custodi. Si quis vero, quod fieri minime credo, si ego ipsa, quod absit, aut ullus de hereditibus vel proheredibus meis seu quolibet ulla oposita vel extranea persona, que contra hanc donationem venire et eam aliqua calliditate infringere vel mutare voluerit, odium Dei omnipotentis incurrat et sancti Petri, cui hec traditio facta est, offensionem semper habeat; degluciat eum terra cum Dathan et Abyron et eveniat super eum omnium Sanctorum, nisi resipuerit, maledictio, et quod repetit, vindicare non valeat. Sed presens traditio omni tempore firma stabilisque permaneat cum substitutione subnixa. Actum publice in ecclesia beati Petri anno nativitatis Domini M.C.XXXVI<sup>o</sup> indictione XIII<sup>ia</sup>, anno autem regni domini Leutharii imperatoris XI<sup>o</sup>, presidente sancte ecclesie Coloniensi venerabili archiepiscopo Brunone, Adolfo comite et advocato ecclesie predicte; Ottone custode, Bezone subcustode. Die secunda mensis Julii. Testes autem, in quorum presentia hec traditio facta est, sunt hii: Adolfus comes de Monte, Tidricus Calf, Godefridus Obolus, Wolfart de Grimescen, Radolf, Magnus, Heiric de Heithen, Hezelman de Bedinchusen, Biman et ceteri.

Original. Siegel war in der Mitte der Urkunde aufgedrückt; Kreuzschnitt; abgefallen.

Auf der Rückseite: B durchstrichen. Nr. 71, Lit. N.